



2190. a. a. 7. 11.
DISPUTATIO JURIDICA
De

32.
10.

MUTUO,

Quam

Fortunante Jehovà & sup-
petias ferente,

*De consensu & auctoritate Amplissima Facul-
tatis Juridicae, que est in inclita Lipsien-
sum Academia,*

P R E S I D E

WILHELMO SCHMUCK,
Philos. & U. J. D. Pandectarum Professore
publico, ejusdemq; Facultatis Assessore dignissimo,
Domino & Præceptore suo plurimū
colendo.

Publico examini subiicit

HENRIDICUS Neumburg
Bremensis.

Ad diem 12. Decembr. loco horisq; solitis.

L I P S I Æ

EX OFFICINA BAVARICA,

ANNO M. DC. XXII.

Ex materia mutui.

I. CONCLUSIO.

Verbum credendi non unus, sed plurimum significatum capax est: Nam primo creditor dicitur is latissime, qui ex quacunq; obligatione alterius sibi obstrictum habet, etiam ex delicto.

(a) 2. Latius, qui ex contractu tantum (b) & 3. Strictè, qui ex mutuo dunt taxat. (c)

(a) Per l. Creditores. 10. Cum duab. seqq. ff. de P. S. Ita creditor dicitur κανόνες secundum Cujat. In parat. Cod. si cert. perat. Ergo v. grat. qui furum facit, creditorem cogitur agnoscere eum, cui furatus est, nolit velut, ut non solum restituat quod abstrulit, sed & poenam dupli vel quadrupliciter pro furtu vel non manifestum vel manifestum commisit, luat. S. sive Inst. de obl. que ex del. nasc.. Aristotelis in Ethic. ad Nicom. ejusmodi facta obligatoria ex re illicita dicuntur συναλλαγματα ανθρωπων, id est, non spontanea, ex quibus ut maximè quis obligatus esse nolit, ipsum tamen jus illum obligat, ne quis ex malitia sua lucrum sentiat l. i. in pr. ff. de dol. mal. neve locupletetur alter cum alterius damno. I. jure natura. 206. ff. de Reg. Jur.

(b) Cu-



416 106 287 300 18



4 Jun 2190 (23)

(b) Cuiac in part. C. si cert petat. Vocem creditoris sive significacione id est accipi vult magis nimirum propriè si cum postrema significacione conferas, quæ respectu etiam satior rectè dicitur; Repertur autem significatur yerbam credere, in l. i. ff. de reb. cred. scribit enim eo loci JCrus dederunt et credidit omnes contractus, quos alienari sicut sequitur inserviuntur, complecti. Unde qui commodat alteri verbis graf librum, vel librum apud alterum deponit, credit commodatario & depositario, quia fidem illorum sequitur. d. l. i. in pr. Dic h. Quod Cuiac in part. i. ff. ab eo rem esse nisi maximè propriè veniat creditoris nomine, qui alteri mutuatur aliquid, quod pondere, numeris & mensuris comitat, l. mutuum. 2. in pr. & §. i. ff. de reb. cred. Et hæc acceptio vocabuli ~~mutatio~~ la nostræ deprehenditur maximè conuenire; de nullo siquidem contractu frequentius usurpata repertur vox Glæsiger quam de contractu mutui.

II.

Qui negat, quod mutuum sit contractus, is juris principis vehementer obstrupit.

Non igitur audiendus est juxta illud Aristote lis tritissimum, τοις τοις ανελευθεραις δεχασσοι επι λεγοντες, id est, contra negantem principia, non est disputandum. In hanc autem rem sunt textus meridiana luce clariores, qui mutuum inter contractus connumerant citra ullam controversiam; §. sed iij. 3. in fin. Institut. de jur. n. g. & c. i. i. ff. & C. de reb. cred.

cred. & si cert, per l. i. in pr. & §. i. ff. de Oblig. & Act. Qui negant sive opinionis fundamentū querunt in l. Labeo. 19. ff. de P. S. quali ibi numeratio, id est, numerum ad actum referatur, non ad contractum, & contractus nulli sint alij, nisi qui ultra citroque obligationem in se habeant: perperam. Nam multum in d. l. Labeo. non propterea actui alii numeratur, ut è contractum numero sit exclusum, sed quia omni contractui inest actus quidam, quem sit vox latior contractu, d. l. 19. junct. l. semper. 24. ff. de R. f. & l. obligationem 3. §. fin. ff. de obl. & act. Quod autem ibidem scribit JCrus contractum esse ultra citroque obligationem, non definiendi animo scribit, sed ut rudi Minerva & πλάθει dictiones à se invicem distinguat, actum, contractum, & gestum, & descriptionem contractus afferat à potiori, praecellunt enim in ordine contractum hi, qui sunt ultra citroque obligatorij, ut sequitur, in d. l. Labeo. veluti emulo venditio, &c. Vera definitio contractus eruenda est, ex l. jurisg. 7. pr. & §. i. ff. de pact. quod nimirum sit conventio cum causa. Atqui intuitum est conventio cum causa. Ergo. Causa in eo est, quod obligat alterum ad reddendum honi quidem in specie quod accepit, sed in genere, d. l. mutuum. 2. in pr. & §. i. ff. de reb. cred. firmam etiam inde producit creditor conditionem, l. certi. p. in pr. ff. eod. tit.

III.

Est contractus stricti juris mutuum.

Quia simplex, non gemina non mutua non ullo citroque nascitur inde obligatio. Creditor enim

ad nihil obstrictus est debitori; debitor autem solus creditoris ad reddendum, & quidem non plus, sed quantum accepit in mutuum, l. si tibi 17. in pr. ff. de pact. l. rogasti. 11. §. si tibi. 1. ff. de reb. cred. Qui stricti juris contractibus à formula actionis appellatio[n]em tribuunt, nihil agunt; Nam hac ratione, quidam contractus etiam dicendi essent arbitrarii, cùm dentur actiones arbitrariae, §. præterea. 29. Inst. de actionib. Quid multa? quia hodie formulae actionum sunt sublatæ per Constantium Imperatorem, t. t. C. de form. & imperat. act. subl. consequens est, sublatos etiam esse contractus ipsos, aut qualitatem hanc contractum, quā dicuntur esse stricti juris. Sed hoc est absurdum statuere, siquidem superstes mansit, ut cunque formula actionis interierit. Nemo enim alteri plus reddere vult, quam in mutuum accepit, nec judex debitorem in plus potest condemnare, quam in quantum ipsi à creditore datum est, l. cum quid 3. ff. de reb. cred. usque adeo, ut licet in mora solvendi debitor fuerit, nihil tamen usurarum ob moram amplius ipsi adjudicari queat; scriptum enim est, ex stricti juris contractibus usurras ob moram non deberi, l. mora. 32. §. in bona fidei 21. l. videamus. 38. §. si actionom. 7. & §. in ceteris. 25. ff. de Usur. l. quamvis. 3. C. cod. tit. Quæ leges judicii sunt diligenter custodienda in concipienda sententia, ne aliter judicet, quam legibus aut constitutionibus aut moribus proditum est, in pr. Inst. de offic. jud.

Mutu-

IV.

Mutuum non contrahitur, nisi res statim interveniat ad perficiendum mutuum.

Est enim contractus realis, ut loqui vulgo solemus, id est, talis contractus, qui ad sui perfectionem rei interventum necessariò desiderat, in princ. Inst. quib. mod. re. contrah. obl. Unde qui promittit alteri mutuum, mutuum non contrahit, sed spem duntat alteri facit de futuro mutuo, licet stipulatio accesserit: deficit enim dominans requisitum, quod est res fungibilis, quæ pondere, numero, mensura, constat, d. pr. Inst. d. tit. Vehementer tamen huic sententiae obstare videtur, quod extat, in d. l. mutuum. 2. §. fin. ff. de reb. cred. verbis, inquit JCtus, quoq; credimus, quodam actu ad obligandum interposito, veluti stipulatione. Sed responsio est in facili, cum verbum credere ibi non sit accipendum defacta, quam suprà tertiam fecimus, significatione, sed de secunda, quæ verbum credere omnem contractum, & sic stipulationem in se complectitur, ita ut qui stipulatur ab altero promittente aliquid, etiam fidem ejus sequatur, §. in hac re. 1. vers. quinetjam Inst. de P. obl. Dissentit ibid. Gothofr. qui ex hoc actu fecit mutuum civile, sequutus dubio procul glossam & Zaf. d. §. fin. ff. de reb. cred. sed perpetram, jungs l. s. in pr. ff. d. t. de reb. cred. Quod si litterarum obligationem subesse urgeas; eo ipso fateris non esse mutuum, sed in aliud contractum rem migrare, t. t. Inst. de lit. oblig.

Mutu-

V.

Mutuum consistit &c. in panibus, in carne, piscibus, & id genus aliis, cùm in cibum petuntur.

Nam & harum rerum usus in abusu, id est, consumtione, absuntione est, sicuti olei, frumenti, vini ac cerevisiae, in pr. Instit. quib. mod. re contrab. obl. l. vinum. 22. ff. de reb. cred. Recipiunt item haeres pondus, numerum & mensuram, prout contrahentibus visum fuerit, argumt. d. pr. Instit. d. tit. l. mutuum. 2. in pr. & §. 1. ff. de reb. cred. recte Zaf. ad d. l. 2. §. 1. num. 38. & Cujac. ibid. in Comm. post. ad Paul. ad Edit. Dissent. d. loc. Accurs. & ex parte Bartol. qui in panibus non aliter mutuum concedit, quām si ad pondus tradantur, nihil est: Si enim placet contrahentibus, ut numerentur, non etiam pendentur panes in mutuum dati, quidni mutuum contractum esse statuatur? cùm ex placito contrahentium contractus vires accipiant, l. contractus 23. ff. de R. J. l. juris gent. 7. §. quin imò ff. de pact.

VI.

In conrrahendo mutuo quod agitur pro cauto habendum est.

L. 3. ff. de reb. cred. Jam verò id agi intelligitur, ut ejusdem generis in eadē bonitate solvatur, quod datum est, d. l. 3. Facit item, quòd aliud pro alio invito creditori solvi nequeat; l. mutuum. 2. in pr. ff. d. tit. Arqui hac ratione aliud certè pro alio solvi dubium non est, verb. grat. si pro floreno veteri novum

novum quis reddere mallet, cùm non tam genus sed dem spectandum sit; quām bonitas etiam in redendo mutuo. Quare ne alterutrum horum principiorum vim patiatur, & vel aliud agi, vel invito creditori aliud solvi necessum sit; rectè debitor nolens vel officio judicis cogi potest ad similem bonitatem in restituendo mutuo. d. l. 3. Obstat quòd contractus mutui sit stricti juris, l. si tibi 17. in pr. l. rogasti. 11. §. si tibi. 1. ff. de reb. cred. l. cum ultra 9. C. de non numerat pecun. In stricti verò juris contractibus ita comparatum sit, ut quod palam non exprimitur à contrahentibus, pro omisso habeatur, l. quicquid. 99. in pr. ff. de V. Oblig. quod in mutuo usq; adeò militar, ut licet super usuris pactum adjectum fuerit ex parte creditoris, nihil tamen actum intelligatur, d. l. si tibi. pr. d. l. rogasti. §. 1. Respondendum autem est, quòd quedam naturā insint negotio vel contractui; quedam verò tantum abest, ut naturā insint, ut si accedant, naturam rei potius violent, quām adjuvent. Quare quæ naturā insint, quantumvis non exprimantur nominativi à contrahentibus, pro expressis tamen, & ut in d. l. 3. Itetus ait, pro eaute habentur, ut nimirum res in eadem bonitate reddatur à debitore, licet de bonitate tempore contractus nullam mentionem fecerint, d. l. 3. ff. de reb. cred. Sic si stipulor, ut mihi à Johanne Norimbergæ solvantur centum; hoc casu licet in stipulatione caustum nequaquam sit, quamprimum scilicet eo pervenerim, sed pura sit stipulatio absq; die & conditione adiecta; natura tamen negotij suader, ut centum Norimbergæ petere nequeam,

B

quām

quām vel ego vel nūcīus hīcus cō devehērit, interjectis scilicet tot diebus; quō sufficiunt ad iter Lipsiā Norimbergam perficiendum; per l. interdum. 73. in pr. ff. de V. Oblig. junct. l. quoties. 24. ff. de operis libert.

VII.

In moneta tempore solutionis ærofa facta ad tempus contractus regulariter respiciendum est, si cum argentea fuerit, & melior præsente.

Exempla sunt ḥmoiετāν ωδηγελμάτων: Titius ante quindecim plus minus annos centum florenos in moneta currente dedit in mutuum Sejo; hosce nunc paratus est Sejus reddere in moneta hodierna: quæritur an ad accipendum cogi possit Titius. Respondemus ex l. cum quid. 3. ff. de reb. cred. non tenetur eos accipere tali moneta, quam deprehendit bonitate inferiorem eā, qnā fuit ante quindecim annos. Quare Sejus est obstrictus vel pristinæ bonitatis monetam Tito solvēre, vel æstimationem præstare illius in hodierna, d. l. 3. & l. 1. §. re contrabitur. 2. ff. de oblig. & act. Ad stipulatur huic assertioni Novell. Elector. part. 2. constit. 28. Nec obstat, quod in pecunia quantitas magis, quām qualitas spectanda sit, id enim concedendum est, cūm nihil de sua bonitate diminutum sentit, dd. ll. & l. crediterim. 99. ff. de solut. Sed quid, si ante annūm hodiernam monetam alteri mutuo dederim, hodie vero

verò tempore solutionis. (ut in vicinis locis contin-
geret inaudimus) in pristinum statum moneta re-
dacta fuerit, & ad veterem bonitatem pervenerit;
an & cum tempus contractus sp̄ctandum? In ex-
tremis uterque laborat, creditor ut in optimū
mutatam monetam recipiat, licet is vilissimam ex-
penderit, juxta l. eleganter 24. §. qui reprobos 1. ff. de
pignor. act. Debitor contrā tempus contractus ur-
gons, quo vilissimam acceperit, ne solidam & quin-
tuoplo meliorem solveret ad evitandum damnum
irrecuperabile. Tūtissimum foret hoc casu reim-
ponderatis circumstantiis ad mediocritatem &
æqualitatem, quoad ejus fieri potest, reducere, &
juxta saluberrimum JCTi consilium, in l. in ambiguis.
85. §. quotiens fin. ff. de R. J. eam iussis decretis
temperare. d. l. 85. §. quotiens junct. l. in omnibus 90.
l. rapienda 168. ff. eod. de R. J. quod & Justinianum
fecisse legimus, in §. fin. Instit. de donat. §. fin. Instit.
de vulg. subst. §. hoc quoq. 2. Instit. per quas person. nob.
acquir. & JCTos. Paulum in l. antequam 3. vers. quid
est ergo? ff. si pars hared. pet. l. filio. 7. in fin. ff. ut legat.
serv. &c. Pomponium in l. Quintus Mucius. 7. in fin.
ff. de ann. legat. Ulpianum in l. si servos. 25. in fin. ff.
de pigner. act. in primis autem apud eundem Pau-
lum in nobilissima & ad presentem quæstionem ac-
commmodatissima, l. cum quidam 17. in pr. ff. de usur.
& tandem Julianum, in l. quidam 21. ff. de reb. credit.
Qui textus & id genus similes Antonio Theslauro
extorserunt nobilissimam pro simili quæstione ad
æqualitatem reducenda decisionem, 226. per tot. cui
suffragatur & Hotzman. in quest. illustr. 22.

VIII.

Mutui natura postulat, ut de meo (creditoris) fiat tuum (debitoris.)

L. 2. §. appellata 2. ff. de reb. cred. junct. §. seq. l. proinde 2. in verbis Tui fiant, &c. ff. cod. in pr. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. l. i. §. re, contrahitur. 2. ff. de oblig. & act. hoc est, oportet creditorem rei in mutuum datæ esse dominum. Sed quid si Titius habeat debitorem Sejum, quem jubeat pecuniam sibi debitam dare Mævio tertio cuidam, qui à Titio ante aetate petierat mutuum: queritur si Sejus jussu Titij morem gerens det Mævio nomine Titij pecuniam, an Titio non etiam Sejo comparata sit mutui obligatio, quasi Titius pecuniam Mævio numeraverit? Et responderet JCetus, Titio obligationem quam sitam esse non aliter, ac si ipse cum Mævio mutuum contraxerit, in l. singularia. 15. in pr. ff. de reb. cred. Sed obstat modò dicta regula, quod creditor debeat esse dominus rei in mutuum dandæ, dd. II. Atqui Titius hujus pecuniae nunquam fuit dominus. Ergo &c. 2. Quia per alterum maximè liberam personam nulli obligatio acquiri potest, §. ex his itaq. §. Inst. per quas person. &c. l. quo tutela 73. §. fin. ff. de R. J. l. stipulatio 38. §. alteri 1. ff. de V. oblig. §. alteri 18. Inst. de util. stipul. 3. Quia ex nudo pacto vel potius jussu ad extraneum facto non acquiritur obligatio, l. jurisgentium 7. §. sed cum 4. vers. igitur ff. de pact. 4. Multò minus nudis pactis transferuntur rerum dominia, sed traditionibus & usucacionibus, quartum neutrum nostro casu intervenit, l. traditio-

ditionibus, 20. ff. de pact. Ergo, &c. 5. quia nec nudo pacto potest delegatio fieri, sed semper per stipulationem, l. delegare 11. §. fit autem, i. ff. de novat. l. i. C. cod. videretur autem in proposito casu subesse delegatio, cum persona debitoris mutetur, &c. fieri ex debitore Sejo Mævius Titio. Quæ omnia certè ex diametro reclamant decisioni JCeti, in d. l. singularia. 15. in pr. ff. de reb. cred. Quomodo igitur concilianda? Distingue enim JCeto inter rigorem iudicis & benignitatem & equitatemque, & salva res est. Argument. l. placuit. §. C. de jud. l. in omnib. 90. ff. de R. J. junct. l. cum quidam. 17. in pr. ff. de Usur.

IX.

Creditori invito particularis solu- tio à debitore obtrudi nequit.

Textus in l. tutor. 41. §. Lucius l. ff. de Uffig. l. plati-
ne. 3. ff. famil. ercisc. l. qui pignor. 19. ff. de pignor. l. Ju-
lianus. 13. §. offerri. 8. ff. de act. empl. Nec caret hoc
axioma insigni ratione. 1. Ita enim natura fert vi-
nius cuiusque obligationis, ut quod uno eodemque
tempore deberi incipit totum, ac in solidum, hoc i-
dem uno eo tempore solvarur in solidum, nec scin-
datur contra naturam obligationis. & nolne cre-
ditore ejus solucio in partes, cum sit obligatio ex
numero rerum incorporalium nec divisa nec ad-
mittentium, in pr. Inst. de reb. corpor. & incorporal.

2. Quia contrariorum eadem est ratio, l. nihil tam.
35. l. omnia 100. l. ferè quibuscang. 153. ff. de R. J. 3.
Quia debitor censetur hoc in commodum non raro
sua culpa sentire, dum legem circa solutionem par-

culariter facienda non dicit apertis, t. veteribus
39. ff. de pact. junct. l. contractus. 23. ff. de R. f. cùm si-
milis eumodi resolutio reperiatur. in d. l. tutori.
27. §. 1. ff. de usur. 4. pertinent huc præterea omnes
illi texus, qui aut solidum solvendum imperant, aut
minus solutum et disponuntur. solidum: 85. ff. de so-
lut. l. ut si curia 2. §. 1. ff. de r. s. 1. Faciunt tandem
pro hac sententia regimur. Doctorum opinio,
quam legibus sufficiat merito in dicti modi con-
troverfis sequimur: qui accedit insuper & Zas. in l.
quidam 2. ff. de reb. cred. Distr. ead. iur. cap. 7. Equi-
nar. Baro in suorum nulli ad Digest. cod. tit. Cujac. add.
l. Lucius Titius. 41. §. 1. ff. de Usur. in comm. postb. ad Re-
spont. Pauli, qui Metadromus inscribitur. Hoc op. quest.
illust. 22. Goedd. ad l. 32. numer. 8. Et seqq. ff. de V. S.
Qui à nobis differt, pro dedicant longissime pe-
titum textum, in l. stipulationum. 2. §. 1. ff. de V. obl.
è quorum numero est Coras. ad d. l. 2. §. 1. Sed
committit hic fallaciam à dicto secundum quid ad
dictum sim plotevit. Parum item facit pro illis ad-
ducens. §. 1. in propria capitulationem. 1. in fin. Inst. quib.
mod. oblig. vol. ubi Justinianus partis acceptilatio-
nem admittit, quatenus ita placeat creditori, ut
quod illi texobis deest, ex aliis necessarium sit adin-
pliri. Reliquæ Corasij contrarie rationes & argu-
menta sed ipsa elidunt, quod in ipso disputationis
actu ostendetur. Ab hiac tamen regula quidam ex-
cipiuntur casus. 1. in l. sum heres. 3. §. item fidem.
6. ff. de statu liber. 2. in l. placuit. 4. C. de collat. fund.
patrim. lib. 11. 3. in §. sunt præterea. 6. cum daob. seqq.
Instit. de action. 4. in l. pacto successorum 26. C. de
pact.

pact. l. ea qua o. C. famil. 1. ex l. 1. 4. in pr. ff. eodem
tit. 5. Excipiendum tandem est à regula casus in l.
quidam existimaverunt. 21. ff. de reb. cred. quem ta-
men de debito ex parte illiquid nequaquam acci-
piendum censeo contra omnes; nam si debitum
partim est illiquid, ad illud partem non
exigendam nulla est opus humanæ persuasione Magi-
stratus erga creditorem, sed cogitur tunc in parti-
culari solutione acquiescere. Humanitate Magi-
stratus tum opus est, ut ea flectat rigidum creditor
rem, si tota summa est liquida, ut propter inopiam
debitoris sibi particularem solutionem obtrudi pa-
tiatur.

X.
Pupillus mutuum sine tutoris au-
toritate accipiens ad restituendum tu-
demum obligabitur, cum locupletior
inde factus fuerit.

Idque ex constitutione Divi Pij Imperatoris. l.
air Prator. 3. §. pupillus. 4. ff. de neg. gest. l. sed mihi. 3.
in pr. ff. commod. l. pupillus. 5. in fin. ff. de aut. tut. Et
hoc modò obligatur non solum naturaliter, sed &
civiliter, quod tamen est contra d. l. pupillus. 5. in pr.
ff. de autor. tut. ubi JCrus air, quod tantum natura-
liter obligetur, cùm tamen naturaliter obligetur, si
locupletior factus non est. l. obligat 43. ff. de oblig. &
act. Hic mère variant & JCru in Digestis, & Inter-
pretes, qui tamen omnes ad consonantiam facile
reduci possunt.

In æ-

XI.

In aestimatione rei in mutuum date judici inspiciendum est tempus litis contestatae.

Titius Sejus dedit mutuorum ante biennium decem amphoras vias Rhenani optimi, die solutionis hoc anno veniente vinum Rhenanum Sejus habet nullum, nec eius bonitatis consequi potest ab aliis, ut necessario ad aestimationem vini deveniendum sit judici post actionem instauratam & item contestatam. Cum igitur juxat. vinum. 22. ff. de reb. cred. tria tempora judici sunt attendenda, ex quibus in ejusmodi casibus, ubi ad aestimationem rei progreendiendum est, ipse omnem controversiam dirimit, vel tempus contractus, vel litis contestatae, vel denique sententiaz latæ: quæritur hinc secundum, quod tempus vinum aestimare debeat judex? Et responderet JCtus, in spiosa & difficult. d. l. vinum 22. secundum tempus litis contestatae, ut quanti tunc prostat amphora vini, tanti condemnetur debitorem: ratio decisionis est, quod mutuum sit contractus stricti juris, cùm sit contractus μονοπλευρ. non διώπλευρ. ut supra conclusione tertia posuimus, & quod in mutuo strictè debeat reddi, quantum est datum, nec plus, nec deteriorius, in pr. iust. quib. mod. re contrab. oblig. placuit igitur ex natura contractus, ut in stricti juris judiciis nullum aliud, nisi litis contestatae tempus spectetur, l. sed mihi 3. S. in hac actione 2. ff. commod. Ratio rationis est, quia quale quid est, quod petitur, tale dari debet, l. vulgo. 2. ff. de usur.

jur. Quod usque adeò verum est, ut licet plurimus condemnatus sit debitor, quam computatio sortis & usurarum constituebat, humanius tamen est, debitorem non amplius, quam quod revera debet, dare oportere, l. si fundus. 16. S. si pluris. 6. ff. de pignor. junct. l. si inter. 21. S. fin. ff. eod. l. si tibi. 17. pr. ff. de pac. & l. rogaſti. 11. S. si tibi 1. ff. de reb. cred. Obstat tamen his, quæ dicta sunt, vehementer textus in L in hac actione. 3. ff. de tritic. actione. Sed si distinguas inter arbitriatas actiones, de quibus omnino loquitur JCtus, in d. l. 3. & inter puram stricti juris actionem, quam d. l. vinum 22. præ se fert, jam omnis res in vado est.

XII.

Periculum rei in mutuum date est penes debitorem.

Fit enim illius rei dominus, d. l. 2. S. 2. & 3. ff. de reb. cred. & l. proinde. 8. in pr. ff. eod. certum autem est, rem perire suo domino, l. pignus. 9. C. de pigner. att. Ergo si pecunia, antequam illam in rem suam vertere coepit, casu quodam fortuito perierit, statuendum est, periculum ejus esse & interitum, l. incendium 11. C. si cert. petat, ibi: incendium non exuit ære alieno debitorem. Obstat tamen textus, in l. contractus 23. in fin. ff. de R. f. l. qui fortuitis 6. C. de pigner. att. Utterque textus accipiendus est de contractibus, quibus res aliena non fit per traditionem nostram, ut est in commodato, pignore, deposito, precario, &c. Per mutuum vero, quia res aliena nostra fit, ut modo & supra probavimus, nostrum erit

erit & periculum, l. certi conditio. o. S. fin. ff. de reb. cred.

XIII.

Administratores civitatum, si mutuum accipient pecuniam, eatenus obligant ipsas civitates, quatenus in utilitatem publicam illa versa est.

L. civitas. 27. ff. de reb. cred. Ratio decidendi nequaquam est exorbitans, ut vulgus Interpretum sentit, sed dependet ab officialium omnium, qui rei alienæ etiam cujuscunque privati curam gerunt & administrationem. Quod enim usu venit in mutuo servi vel filij famili, contemplatione dominorū ac parentum, ut ad exsolutionem dominus ac pater de suo non aliter teneatur, nisi quantum de pecunia ista in rem illorum versum fuerit, l. quod s. 2. S. & regulariter. 2. S. sed si sic accepit. 9. ff. de in rem vers. junct. S. que diximus. 6. Inst. quod cum eo, qui in alien. potest. quod item juris est in procuratore vel negociorum gestore, qui domini sui vel ejus, eius negocium gerit, nomine mutuum accepit, dominus peræquè à creditore non aliter potest conveniri, nisi quatenus in rem ejus ac utilitatem versum est, d. l. quod s. 3. S. & regulariter. 2. l. & qui serv. 7. vers. alioquin. C. quod cum eo, qui in alien &c. l. liberto. 31. in princ. verbis; in rem ejus versa ff. de negoc. gest. Hoc idem etiam quidem multò magis debet esse receptissimum in administratoribus civitatum, ut similiter civitates ex mutuo administratorum suorum,

fuorum, ceu sunt, quos in vernacula Gemeine Vorsteher / Rahis Cämmere / Einnehmer appellamus, obligentur, quam quatenus cesserit illud in commodum ac utilitatem Reipublicæ, d. l. civitas. 27. ff. de reb. cred. Facit item pro hac decisione, quod civitas & omnis Respublica minorum jure utatur, l. pen. C. ex quib. caus. maj. l. ergo sciendum. 22. in fin. ff. cod. tit. l. illud sciendum. o. ff. de appellat. l. i. C. de offic. ejus qui vicem. &c. l. si mater. 6. C. no de statut. defunct. &c. Sicut igitur pupilli & minores ex contrario curatorum & curatorum nequaquam obligantur, licet contemplatione pupillorum & minorum initus ille sit, nisi in commodum corundem, quod gestum est, vergat, l. si in rem. C. quando ex fact. tut. vel curat. l. 2. C. de curat. furios. junct. l. 2. ff. cod. tit. Ita etiam comparatum est cum civitate, ne illa ære alieno ab administratoribus conflato gravetur, nisi constet, quod ad utilitatem ejus pervenerit, b. noft. l. civitas. 27.

XIV.

Sed cum ejusmodi versio sit facti; eam non civitas, sed creditor ut probet, necesse habet.

Actor enim non reus regulariter probare tenetur, ut qui versionem allegat, hanc etiam doceat., l. 7. ff. de probat. junct. l. 4. C. de eden. 2. quia civitas adversus creditorem exceptione non numerata pecuniae perpetuò potest uti, Bald. Rem. & vulgo. Dd. ad l. si is qui 11. ff. de pignor. Mezz. intrat. de mut. S. venio ad primam, &c. post. nunc. 12. Fachin.

Ab. 2. controvers. 36. quo casu onus probandi devolvitur sane in actorem sive creditorem, *i. 3. C. de non numerat pecun. 3. quia in auth. quod jus C. de S.S. Eccles. probationem versionis disertis verbis Justinianus transfert in creditorem.* Quod pertinet & textus, *int. quod si 3. S. penult. ff. de in rem. vers. 1. vir uxori. 17. in princ. ff. ad SCtum. Velle. Zaf. add. I. civitas. num. 10. Duar. tit. C. se cert. pet. cap. 3. in fin. Hartman. Pistor. lib. 1. quæst. 37. num. 30.* Obstat tamen, quod minor, cuius iure utitur civitas, se laesum esse probare debet, *I. 5. C. de in integr.* Ergo & civitas. Obstat item, quod de magistro navis scriptum est, cum facto suo dominum obligare, nisi pecuniam, initio in suos usus converterit, *I. 1. §. unde queritur. 9. ff. de exero.* Obstat denique quod civitas teneatur probare per libros suos & rationarios, in quibus annotat accepta & expensa. Et si quæ sunt alia, ad quæ respondebimus DEO volente in ipso disputationis actu.

XV.

In certum diem solutionis premissa etiam ante diem invitato creditori praestari potest.

Per *I. stipulatio ista. 38. §. inter incertum. 10. ff. de V. Obl. I. quod certa. 70. ff. de solut.* In debitoris enim favorem dies regulariter adjicitur obligationi, *I. cum tempus. 17. ff. de R. J. alijs præsenti die debetur, I. in omnibus. 14. ff. eod.* potest autem quilibet favori pro se introducto liberè renunciare, *I. pen. C. de pact. I. si quis. si. C. de Epis. & cler. I. 1. ff. si quis in*

jns

*juvocat. &c. Facit quidam promulgare, esse operat ad liberandum, quam id obligandum, *I. arr. annus. 47. ff. de oblig. & act.* quodque in dubio verbis indefinite positis semper pro onerata parte, qualis estreus, interpretatione facienda, *I. semper in obscuris. 9. ff. de R. J. I. Semper. 50. ff. ea. 94. 992. S. L. ff. eod.* Et sibi impracticabilis creditor, quod legem contractui non dixerit, cum potuerit, apertius, *I. veterib. 39. ff. de pact. I. in contrahenda. 172. ff. de R. J.* Et haec est communis Ddi sententia initia cum legibus cum ratione juris solidam, quam & Döplicl. sequitur, *in I. cum qui cedens. 41. num. 47. ff. de V. Oblig.* Nam si creditoris causa dies appositus est, res nullum habet dubium, quin diem solutionis antevertere paratus debitor possit repellere, *Decim ad d. I. cum tempus. 17. num. 6. versi. secundo, &c. arguit. I. 15. ff. de ann. legat. I. 43. §. 2. ff. de legat. I. Briffon. lib. 1. de solut. quod & jure Saxon. reoceptum est, in I. 1. Land-Necht. artic. 63.* pacta enim dant legem contractui, *I. contractus. 23. ff. de R. J. & mutare quandoq; possunt, quod regulariter contractui inesse præsumitur I. Lucius Titius. 24. ff. depos. I. naturalis f. S. sed si facio. 4. vers. in prioromi. ff. de prescript. verb. I. nec ex pratorio. 27. ff. de R. J. Dissentient Ferret. & Gujac. in d. I. stipulat. 38. §. inter incertam. 10. ff. de V. Obligat. nec non novissime Ant. Fab. I. conject. I. abiroide.**

COROLL.

Continuatio titulorum in Digestis, & Codice per imagines concepta est à rex y G, & à juris principiis appiò aliena.

AD

Ornatiss. & Dotiss.

Dn. RESPONDENTEM,

popularem & amicum suum
singularem.

Nonne te terrena Boreas tumentes
Flatus, & Syrtes scopulique acuti
Litoris, navem Themidos hyberna
Solvere bruma?
Hem tuæ cymbæ præterio valentes
Maximo res impositæ, nitore,
Jaſpidem longè superant, & aurum
Perſide natum.
Sed tuo fretus genio, periti
Tumque nautæ consilio, anchoraque
SCHMUCCIANA, nil scopulos tunc
Juris in alto.
Non caret res laude, virente Lauru
Dignus: ipsa & materies docentem
Mutui nodos varios larentes
Laudibus urget
His tuis conatibus improbandis
Seculo nullo, mage sed ferendis
Usque Solem, gratans penè sic studebit
BREMA favere.

Amitiss ergo f.

Sebastianus Almers, J. U. Cand.

Pro

Pro lubitu ne quicq. suis servos omnis agric
Romaniq. gentesq. fratreſ sibi
Hinc divinarum sacra ſa repagula legimus
Codicibus multis ſcriptra retita a foro.

Hæc quantum praefat didicisse fideliter, atq.
Implicitas dexteræ falvere poffepicas!
Sed neutrā ſperis pluteis templisq. Themiſis
Contingit Juveni, latit abilq. pedem.
Hoc te sudantem ſtadio, & constantis Achatis
Vestigis ſtantem, res bene geſta probat.
Ergo mites etiam Nienborq. cum tandem ſequentur
Non in exterrit digni brabent viro.

Amicitia ergo populari ſuo ſuaviffi-
mo L. M. apposuit

Alvericus Bokenius Osterft. Brem. LL. ſtud.

Præfatisq. itaq. Dotissimo

Dn. RESPONDENTI,
cognato & populari charifimo.

Omibus ut numeris possis placuisse Themistæ
Ingenij vires exeruisse juvat.
Multi hic defudant fruſtris, & ceu pressus aratro
Et ſtimulis taurus mente dolente gemunt.
Desperant ſubito, ceſſat peiorque laborque,
Bartolos agippicis moribus inde cibus.
Quamvis sudantq. tu contra auctoriar instas,
Sicque tuâ auctae impure beatus eris.
Alma Themis gratis te ſic trahabit in ulnis
Ut ſubolem mater pectus adusque premens.

Gratulatur

Henricus Meyers Osterftad Bremenſis.

AD

Ad amissimum

Dn. RESPONDENTEM.

Scilicet aggredieris rance de luce cathedra

Legum perplexa conciliare vices:

Et caecos sciolii nexus dubiusq; sophista

Verborum saut à fulvere mente strophas.

Rem magnam prestat, rumpentur ut ilia Memos,

Invidia laudum carmina teste meres.

Nil hic efficitur natosq; robore clavus.

Herculis: hic simplex, Oedipe aspice et noes.

Scilicet hic opus est magis alia in dagine mentis,

Confidis vires suppedante Dica.

Sigismund. Cunrad. Deuerling.

R I N - I S.

